

Z d
2110



QR 551(8)

Z d
2110

C A R M E N
S C R I P T V M

A LIBORIO PAVLO

NORTHVSANO, ET RE

citatum ante discessum ex

Schola Magde-
burgensi.

ANNO DOMINI

1 5 6 4.

31. Maij.



M A G D E B V R G I

EX OFFICINA TYPO-

graphica Ioachimi

VValden.



Suo tu. Dicitur in
copiam dicit liboris
pauca.



OPTIMAE SPEI AD O/
LESCENTVLIS, STEPHANO ET IO/
HANNI GERICIS, fratribus, filijs prudentissimi
uiri Domini MARCIGERICI Consulis
Magdeburgensis, discipulis suis
carissimis.

Quæ uester uobis transmittit carmina Paulus
O Pueri, placida suscipitote manu.
Nam non inuidia pallent, nec lædere tentant,
Sed potius fidei sunt monumenta piæ.
Commonstrant nostro percepit qualia ludo
Dogmata, quo rursus uos docuiq; modo.
Quamuis non magnæ specto hinc præconia laudis,
Hæc quoniam uena pauperiore fluunt,
Attamen hoc gratam testari carmine mentem.
Et uos de studijs admonuisse uolo.
Est aliquid primis didicisse fideliter annis,
Lucida quæ uobis monstret ad astra uia.
Vel quæ præcipitet sæuas Acherontis ad undas,
Et ducat gelidæ mortis ad ima, malos.
His patre cum nestro claro pietate ualete,
Et nostrum carmen consulitote boni.

Liborius Paulus
Northusanus.

C A R M E N

SCRIPTVM A LIBORIO PAVLO

Northusano, & recitatum ante discessum
ex Schola Magdeburgensi,

Anno 1564.

31. Maij.



INclytus eximia mos hac seruatur in urbe,
Huncq; probant nostræ docta lyceæ scholæ.
Vt si quis studijs animum formauit honestis,
Et coluit Mufas, Aoniasq; Deas.
Vltima discedens scriptis monumenta relinquat,
Vt sint hæc studiij pignora certa sui.
Et quoniam natale solum me uiscere facta,
Atq; lares Patrios rursus adire, iubent.
Imparibus suadent uerbis connectere carmen,
Officium, pietas debita, candor, amor.
Officium dico, quod nos impellere debet,
Postulat a uobis, quod Deus ipse iubet.
Turpius est quod enim? Quid flagitiosius illo?
Officium qui non præstat, amatq; suum.
Ergo memor pietatis, & officij, atq; laborum
Imparibus iungam carmina pauca modis.
Sed prius incipio, prius hoc ego munere fungor,
Vos condiscipuli Supplice uoce peto.
Si quid in hoc scripto titubans peccauero lingua
Indoctis uel si dixero forte modis.

A ij

Illud

Illud ut ignoscat candor mihi uester, amorq;
Edocto quondam doctius ore loquar.
Hac spe nunc suffultus opus, gratosq; labores
Officij aggrediar, carmina pauca ferens.
Huius enim quamuis tenuis sit carminis ansa,
Et stilus exiguus pondere, & arte carens.
Attamen ipse scio uos hæc mea carmina tandem
Esse probaturos, propositumq; meum.

Nunc ad te mentem, nunc uerba precantia flecto
Alme parens, uitæ duxq; paterq; meæ.
Conditor in trina qui maiestate coruscas,
Et uera Omnipotens in Deitate Deus.
Ut me sacrati ductu & spiramine flatus,
Cum lingua calamum, pectora & ora regas.
Nec tu Christe meos precor auersare labores,
Numine sed scriptis dexter adesto meis.
Dexter adesto meis, rege nostri carminis ansam,
Atq; preces nostras pondus habere sine.
Nam non uaniloqui tractabo prælia mundi,
Turpia nec scribam Cypridos acta Deæ
Decantent alij Syluestria numina Faunos,
Pierides seu quot mons Heliconis habet,
Interea scribam quæ sit confessio nostra,
Et quæ sit fidei certa columna meæ.
Testaborq; simul uobis præsentibus (a me
Grata hoc nam pietas exigit, atq; iubet.)
Qualia Gymnasio percepi dogmata nostro,
Pastores sicut me crudiere pñ.

Quic

Quicquid enim didici, quicquid mea pectora norunt,
Hoc tribuo nostræ cum pietate Scholæ.
Hoc tribuo nostris Pastoribus, atq; Magistris,
Inclyta quos uere Parthenopæa tenet.
Non illis, falso lacerant qui scommate templa,
Immeritamq; uolunt commaculare scholam.
Quamuis nunc tales nomen, laudesq; mereri,
Extolliq; uolunt improbitate sua.
Attamen acta probant ipsorum turpia, quod non
Principio finis congruat ille suo,
Nanq; in fine tonus cognoscitur, inde petendum
Iudicium, plebs sic dicere sæpe solet.
Verum ne nimium crescant hæc carmina nostra,
Et nostrum uobis tœdia reddat opus.
Articulos aliquos fidei, causamq; salutis,
Quam breuiter possum commemorare uolo.

DE IUSTIFICATIONE.

Quæstio summa fuit cunctorum tempore uatum,
Quos latium quondam, Græcia quosq; tulit.
Qua ratione mali tristissima ianua ditis,
Iniustis pateat nocte dieq; uiris,
Vel quibus illa modis cœlestia gaudia dentur,
Et quæ nos miseros ducat ad astra, uia.
Verum non gentes potuerunt noscere causam,
Fons & origo mali quæ foret, atq; boni.
Hinc Idola, Deos falsos, multosq; penates,
Iusserunt uarijs sollicitare modis.

A iij

Postea

Postea & his nostræ causam attribuere salutis,
Quod tamen est contra dogmata uera Dei.
Nos uero qui membra sumus pia corporis almi,
In cruce quod sancta tristia flagra tulit.
Scimus quis deus, & quæ ipsius sancta Voluntas,
Quidue uelint, uel quid mystica sacra uetent,
Tum quoq; quis noster mediator, quisue redemptor,
Seu quis sit miseris spes, uia, uita, salus.
Hoc ignorarunt gentes, causamq; salutis
Nostræ hinc Idolis attribuere suis.
Nos uero unanimes constanti dicimus ore,
Credimus & uero Corde, animoq; pio.
Iusticiæ ratio salui qua reddimur omnes
Iniustus seu qua iustificatur homo:
Non sit subsistens hæc iusticia omnipotentis
Qua semper iustus dicitur ipse Deus.
Iusticia ast nostræ foedæ dimissio culpæ est,
Quæ reputat iustum, qui fuit ante reus.
Quæ propter meritum, & sanctissima uulnera Christi,
Abluit accepta, crimina nostra, fide.
Dum miseri nos non hominum uirtutibus ullis,
Possumus æthereæ limen adire domus,
Gratis est nostræ tua condonatio culpæ,
SOLVM quod saluat nomen IESVS habet.
Hoc capite in primo testaris Diue Ioannes,
His cum perpulchre uocibus usus, ais:
Purpureus Christi sanguis nos mundat ab omni
Peccato, non est hoc sine, uera salus.
Tam bene consuluit nostræ pia gratia culpæ,
Sic & pro nobis sordida noxa fuit.

Verum

Verum ut possimus tam magnum apprehendere donū,
Hoc solum in nobis efficit alma FIDES.
Alma fides merito Christi quæ nititur, atq;
Quæ se propitium nouit habere Deum
In qua Iusticiæ fremitum miseratio Christi
Vincit, & acceptos quæ facit esse reos.
Hæc est uera fides, hæc est fiducia nostra,
Qua sine non ullus iustificatur homo.
Sed non est Christi res tantum dicere gestas,
Et numerare crucis Vulnera, uera fides.
Sed si quis PRO SE crucifixum dicere Christum, &
In SPECIE possit CREDERE, Saluus erit.
Exemplum sicut cananææ comprobatur illud,
Quæ credit gnatam posse iuuare Deum.
In specieq; sibi, non Christi fulmina curans,
Auxilium tribuit, præsidiumq; Dei.
Hinc illi ueniæ spes, certa remissio, certum
Auxilium a Christo, non aliunde, datur.
Sic quoq; regna fide nobis cœlestia dantur
Omnia namq; FIDES indubitata potest.
Deniq; quam paucis complectar ut omnia uerbis,
Mors tua Christe salus, crux tua Christe salus.

DE BONIS OPERIBVS.

Postquam iustus homo est precioso sanguine Christi
Factus, & accepit cœlica regna fide.
Tunc etiam ut talis faciat bona facta NECESSE est
Omnibus ut fiat notior inde fides.

Namq;

Namq; fides est in nobis quasi mortua, si non
Illam sanctum aliquod concomitetur opus.
Sicut enim crescens non est sine fructibus arbor,
Dulcia sed profert tempore poma suo.
Sic quoq; uera fides in certo tempore fructus
Proferet, & faciet cuncta iubente Deo.
A nobis uerum procul absit opinio uulgi,
Quod falso reddit talia uerba sono:
Sola fides nihil est, operari sancta necesse est,
Vult proprijs iustos uiribus esse Deus.
Talia mendaci qui fingunt scommata lingua,
Hos meritis poenis puniet ipse Deus.
Nam non est hominis PER SE sperare salutem,
Ex meritis NULLI uita beata uenit.
Nullus enim pietate potest, splendoreq; niti,
His & speratae limen adire domus,
Non tua te pietas, non sancta modestia iuuat,
Ante Deum quoniam noxa, lutumq; sumus.
Noxa lutumq; sumus, nihil est in corpore sanum,
Mensuram superant crimina nostra suam.
Ergo opera aeternae non sunt meritoria uitae,
SOLVS enim Christus templa beata parat.
Sed tantum effectus fidei, non causa, uocantur
Namq; ubi uera fides, hic quoq; facta bona.
Et quamuis opera haec non sint meritoria, debent
Illa tamen fieri, nam Deus ipse iubet.
Libera non factu sunt, haec praestare NECESSE est,
Comprobat ista Deus, sed praeuente fide.
Musculus hic errat: nec non et curia Papae,
Dum nimium in meritis attribuisse cupit.

Erat

Errat & hic nostræ Spes & fiducia carnis.
Solut enim est nobis Vita, Salusq; Deus.

DE LIBERO ARBITRIO.

Cum Deus omnipotens primum formasset Adamum
Quam fuit æterni dulcis imago patris.
Nanq; suum pectus diuina luce repletum,
Parebat domino non dubitante fide.
Consona præceptisq; suis quoq; corda gerebat,
Noticiæ mentis germina pulchra ferens,
Ah sed quam subito diuinæ semina mentis,
Noticiæ & Sanctum perdit Adamus opus.
A recto sua dum deflectit tramite uita,
Oblitus domini iussa seuera sui.
Ante Dei effigies nam cum perpulchra fuisset,
Est factus stigij larua stupenda lupi
Cum prius æterni præcepta Salubria patris
Sciuisset, Talpa cæcior ipse iacet.
Sic quoq; nos quorum mens angitur impia labe
Patris, perdidimus munera noticiæ.
Et nunc quicquid homo est, paruū est, Natura, Voluntas,
Mens, animus, pectus, Seditiosa caro.
Nam lapsu patris dotes amissimus omnes,
Quas dederat uobis ex bonitate Deus.
Et pro noticia mens est oppressa tenebris,
Dum laxat uitij libera frena suis.
Nec magis in sacris ulla est parere facultas,
Aut sapere, aut minimum posse uidere bonum.

B

Sic

104

Sic in diuinis NVLLA est sapientia rebus,
Nostra sed est tantum flagitiosa Caro,
Verum ut possimus depellere nubila mentis,
Quæ nos tam misere nocte dieq; premunt.
Per flamen gratis cælestem inspirat amorem,
Viuiicans rursus sensa profunda, Deus.
Atq; novos homines ex uobis procreat, ille
Velle bonum donat, posse bonumq; facit.
Omnis ab hoc domino præclara scientia manat
Nos trahit is sancto flamine, nosq; iuuat.
Nos opus arbitri est, non uis, nec gloria carnis,
Hæc quoniam contra surgit agitq; Deum.
Muneris hoc sed opus diuini est: Spiritus almus
Accendit flammis pectora fida nouis.
Per uerbum facit hoc, per Sacramenta salutis
His medijs renouat, sanctificatq; pios.
Cætera si qua potest dici sapientia uana est,
Nanq; homo nil flatus absq; fauore potest,
Sic cor est prauum, sic est auersa uoluntas:
In sacris, mens NIL cæca uidere ualet.
Sed prorsus patiens subiectum permanet illa,
Quod renouat uerbo, uiuificatq; Deus.

DE SACRAMENTO.

Quis sit amor Christi? quæ sit clementa? totum
Qua fouet humanum pro bonitate genus.
Hoc ego si plenis deberem dicere uerbis,
Non mihi nec linguæ nec satis ora forent,

Non

Non etenim tantum sæuissima uulnera p̄sus,
Et mortis dirum sponte subiuit onus:
Cotidie sed adhuc dat se, corpusq; cruoremq;
In specie potus, sub specieq; cibi.
Non hic uerus amor? non hæc clementia? qua non
Gratior in mundo maior & esse queat.
Christus enim quamuis tenet alta palatia cœli,
Atq; habitat summi templa sacrata patris.
Attamen in cœna nobis se porrigit ipsum,
Sub massa panis, sub specie meri.
Nec tantum nobis se spiritualiter ipse
Porrigit, ut Christo turba inimica docet.
Sed uerum corpus, quod tristi morte peremptum est
In cœna Christus porrigit ipse sua.
Hic idem sanguis, qui Christi ex pectore fluxit,
Solueret in cruce cum debita Lytra datur.
Nec tantum iustus præstans pietate, fideq;
Accipit in Cœna munera tanta sacra.
Verum etiam reprobis Christi corpusq; cruorq;
Sub uino sacro, sub quoq; Pane datur.
Muneris ast huius fructum non captat uterq;
Effectusq; simul non erit unus ibi.
Dona etenim iustus sumit sibi uera salutis,
Donatæ culpæ certa sigilla suæ.
Et malus æternæ cumulat pondera mortis
Fert animæ sæuum iudiciumq; suæ.
Zuinglius hic errat, Karlstad, Calvinus, & ceteros
Corrumpunt Cœnæ qui pia uerba Sacra.

B. ij. DE

DE ADIAPHORIS.

Distinxit ueluti pleno Deus ordine cuncta,
Quæ uel terra tenet, Stelliferusq; polus,
Ordine sic uero ritus præstariet omni
Tempore, cœlestis gaudet & ipse Deus.
Sed tamen hi Christi ne contra dogmata pugnent,
Et dent Chrtisticolis scandula sæua uiris.
Nam si cum nostræ fiunt discrimine uitæ,
Turbantes ueræ dulce salutis iter:
Tunc licet ex templis ritus remouere, nec illi
Res mediæ nobis amplius esse queunt.
Hos etenim nostri tantum uoluere parentes,
In cunctis ut pax rebus, & ordo foret.
Non ut monstrarent cœlestis gaudia uitæ,
Vel possent firmam retinuisse fidem.
Nam Deus humanos ritus non præcipit ulli
Ut seruet, quoniam pagina nulla iubet
Nec remouere cupit, si non cum dogmate Christi
Pugnantes dederint scandula tetra pijs,
Obstrictus quoniam nemo est his; cuiq; uoluntas
Sed datur, ac his mens libera rebus agit.
Hic pugnat Papæ damnosi noxius error,
Ritibus externis astra subire uolens.

Hæc maneat constans & firma professio nostra,
Hæc sint & fidei certa sigilla meæ:
Sic etenim credo, semper sic ipse fatebor
Auxiliante Deo, dum mea uita manet.

Dum

Dum mea uita manet, regit & dum spiritus artus,
Non tale ex nostro pectore dogma cadat.
Et licet infesto conuitia gutture spargat,
Hostis & insontis docta lycaea scholæ.
Tollere uel studeat famam lacerando bonorum,
Attamen hinc poterit uix habuisse fidem.
Nam sic me nostri semper docuere Magistri,
Me sic pastores erudiere pñ.
Quos ego per lustrum tam nobile dogma docentes,
Audiui, summi pro bonitate Dei.
Quare quid liuor? quid sæua calumnia prodest?
Et nocet his quæso, cur fera turba uiris?
Dogmata uera docent quoniam, iustosq; labores,
Officij subeunt dexteritate sui.
Quorum etiam multis nota est bonitasq; fidesq;
Quam præstant tenero cum pietate gregi.
Nam citius ueris numerarem tempore flores,
Et quam multa cauo subsit arena mari.
Quam præceptorum possem benefacta referre,
Quæis data Parthenopes frena regenda scholæ.
Educunt etenim uera pietate iuuentam,
Monstrantes manibus Phocidos arua suis.
Implantant pueris artes, præceptaq; sancta,
Et stabili tradunt dogmata sacra fide.
Inde etiam studijs, pietateq; nostra iuuentus
Crescit, & augetur noster in urbe Chorus.
Quamuis conatur talem hostis perdere cœtum,
Et prohibet nostræ uisere tecta scholæ.
Dum sic exclamat: nostros erroris amantes
Esse Magistros, & dogma docere malum.


B iij

Attamen

Attamen hæc non uerba nocent, nam cœtus in urbe
Crescit, & hoc quassu firmior efficitur.
Nam uelut ad riuos florentia brachia palma
Exerit, & firmo stipite læta uiret.
Non oneri cedit, nec pondere pressa remittit,
Sed contra pondus crescit, agitq; suum.
Quanto etenim magis hæc premitur tanto altius ipsa
Surgit, & in ramis firmior esse solet.
Sic quoq; quantumuis premitur schola nostra cauillis
Fulmine & hanc lædit turba maligna suo.
Non tamen hæc hominum mendacia crassa malorum
Curat, nec magnum pressa remittit onus.
Sed magis assumit uires, & robore crescens
Auxilio summi statq; uigetq; Dei.
Stat: Christi q; simul solius munere stabit,
Donec adhuc fluidas Albis habebit aquas.
Quare nil hominum conuitia dira malorum
Profunt, nec nobis scommata sæua nocent.
Nanq; scholam exaltant dum tentant perdere, crescit
Dum uerbis prorsus suppressere ipsa student
Hæc dixisse sat est: Te nunc pie Christe precamur,
Parthenopes custos atq; patrone scholæ.
Templorum ut serues per aperta pericla ministros,
Qui tua constanti dogmata mente docent.
Ne tua ab immemori taceatur gratia lingua,
Sed placidi maneat portio digna gregis.
Et quia non paucis Ecclesia nostra procellis
Angitur, & magnis fluctibus obruitur.
Perfice summe Pater, Christe, & spirabile numen,
Ut cœtus uigeat fida ministra tui,

Vtq;

Vtq; graues nostri pastores ferre labores
Possint, & munus rite subire sacrum.
Nec curent rabido minitanti dente leonem,
Interitum pacis, dissidiumq; malum.
Sed pergant sacri cœlestia dogmata uerbi
Spargere, constanti mente, fideq; bona.
Sic quoq; nunc SIEGRIDE tuis conatibus adsit
Ut Deus, & firmet numine corda, precor
Officij quo terre queas, uitæq; labores,
Atq; graues hostis sustinuisse minas.
Tutus & in tantis turbis, miseroq; tumultu
Sis, regat æterni te pia dextra Dei.
Et quoniam uere est ad munera sancta uocatus,
Corrector nostræ Gymnasiarcha scholæ.
Ipse precor magnis Deus ut sudoribus adsit,
Quo monstret populo pascua sancta suo,
Pabula quo pandat Christi, fontesq; salubres,
Ut fluat hinc summi gratia magna Dei.
Hoc quisquis lætus uotis ardentibus optat,
Ex imo mecum pectore dicat A M E N.



7ed 2110 QK

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



Pon Zd 2110
1 QK


ULB Halle 3
003 550 494



f







B.I.G.

Farbkarte #13



Z d
2110

E N
T V M

PAVLO
ET RE
sum ex

MINI
4.

VRGI
TYPO
himi

Handwritten text in a cursive script, possibly a library or collection note.

